tui cuidam ignes ac bombi pepererunt gaudium ſpectanti, qui minitati fuerant dolorem maximum expectanti. Attendite & videte!

HErmannus igitur noſter nimiis iracundiæ flammis exardeſcens ſtridore immani exprobrat mihi intolerabilem *συκοφαντίαν* p. 31.

Frontem perfrictam p. 66. 104. 268. &

Perfrictiſſimam p. 147.

Furores Cynicos ſive caninos, p. 273.

Agyrtam verò me vocat, p. 74.

Sycophantam, p. 51.

Rabioſum ſycophantam, p. 250.

Veteratorem, p. 252.

Improbum veteratorem, p. 296.

Improbum calumniatorem, p. 296.

Beſtiam vocat NB. *Typographum*, p. 17.

Hypocriſin & *Phariſæiſmum* cùm mihi, tum etiam Capucinis & mendicantibus tantùm non omnibus conatur impingere p. 23. 33. 126. 129. 148. 150. 193. 197. & in Dedicat. *Impoſtores*, inquit, *Hannoverani hoſpitii*, p. 152.

Impudentiam mihi intentat vicibus ſaltem 58. & quidem *impudentiſſimam*, p. 138. *ſummam*, p. 107. *Cynicam*, id eſt caninam, p. 188. *extremam & furioſam*, p. 153. terminiſque cùm expreſsis tùm æquipollentibus *impudentiſſimum* me vocat vicibus ſaltem 15.

Fœdiſſimum SCURRILITATIS *opprobrium* ſaltem 26. vicibus ejaculatur. Ac diſertè *ſcurram* me vocat, p. 74. & 87. *Impudentiſſimè* SCURRAM, p. 312.

Infame *mendacii*, *mendacis & mendaciſsimi* in me convitium crepat penè centies, ſi non ultrà.

Non poteſt non haberi impudentiſſimus mendax, inquit p. 306.

Et cùm vix aliàs alloquio me dignetur, hiſce tamen perquàm ſuavibus affatur: *Si non more tuo mentiris Capucine*, pag. 102.

Perquam